



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Capvt IV. S. Matthiae coenobium, apud Treueros, in Germania.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

Abbatia s. Victoriani, in d. Oscensi, in regno Aragoniæ.

Abbatia s. Cucuphæ, vulgo de s. Colgato-  
ctauo lapide ab vrbe Barcinonensi, ab eius-  
dem prouinciæ Comitibus fundata.

Abbatia s. Petri de Roda, in Ampurijs ad  
mare sita.

Abbatia s. Martini in vrbe Compostella-  
na, quæ vulgo s. Iacobi dicitur in regno Gali-  
ciæ.

#### CAPVT IV.

*S. Matthiæ cœnobium, apud Treueros, in  
Germania.*

**S** Matthiæ præpotens ac magnificentum ho-  
die extra muros Treuerenses cœnobi-  
um, reformationis Bursfeldensis, dictum est  
antiquitus *S. Eucharij Cella*, à *S. Eucharjo* pri-  
mo Treuerorum Doctore & Episcopo, qui ex  
septuaginta duobus discipulis vnus, à s. Petro  
cum alijs duobus *Materno & Valerio* Treue-  
rim missus dicitur. Cumque ibi concionatus,  
ad Christum Treueros duceret, Albanæ fena-  
tricius cuiusdam filium defunctum à mortuis  
resuscitauit; pro quo beneficio, cum dedisset  
femina domum suam sancto Dei viro; ipse-  
met ex illa domo priuata, publicum eorum,  
qui iam Christo inserti erant, templum fecit.  
In hac domo & in hoc ipso tēplo *s. Eucharjus*  
habitauit: in hac domo mortuus, mox ab au-

ditoribus in subterranea templi crypta positus, ibique humatus est; in quo loco omnes postea eius successores Episcopi Treuirenses vsque ad Valentinum vicesimum sextum Antistitem collocati & decenter humati sunt, tumulis & mausoleis quindecim amplissimis parieti cryptæ eleganter insertis, quæ nonnisi cum multa admiratione videri possunt.

Coemiterium verò S. Eucharij duas habet subterraneas cryptas, in quibus plurima veterum heroum & sanctorum Dei amicorum cernuntur mausolea & magnifica sepulcra; vnum verò præcipuè cum lilijs saxo incisus, quæ Regem Galliæ aut de regia familia aliquem ibi cubare testantur. Perijt incendio hæc Cella S. Eucharij circa annum Domini 330. sed restituitur paulo post à S. *Agritio* Archiepiscopo Treuerorum vicesimo septimo, qui corpus S. *Matthiæ* Apostoli Treuerim afferens, in eam cellam transtulit, quam deinceps *S. Matthiæ monasterium* appellandum censuit. Euersa verò ab Attila Hunnorum Rege (qui se metum orbis & flagellum Dei dicere non erubuit) tota ferè Treueri, Cella hæc S. *Matthiæ* etiam solo æquata est. Quam mox tamen *Cyryllus* tricesimus septimus Treuirorum Antistes non solum reparauit, sed etiam auxit atque ampliauit, sibi que tumulum illic prope antecessores suos constituit. Monastica verò congregatio cæpit illic paulo post huius *Cyrylli* tempora: & fuisse in ea multos eximie doctos admodumque diligentes monachos

testa-

testatur hodie adhuc incomparabilis huius monasterij bibliotheca. Postmodum Galliarum Regum & Episcoporum Treuerensium accessit liberalitas ac munificentia, qua & ditatum & egregiè illustratum est monasterium s. Matthiæ. Habet autem præ ceteris plurimis ornamentis, 28. fontes optimos ac limpidissimos, omnes ex vna scaturigine ortum & initium sumentes, sic ferè Gaspar Bruschius in Chronologia monasterium Germaniæ.

## CAPVT V.

*S. Vedasti Abbatia, in vrbe Atrebatensi,  
apud Belgas.*

**I**llustrissimum S. VEDASTI cœnobium, vt nomen sic & originem repetit à S. Vedasto Atrebatensi Episcopo: adeoque commune cum alijs plurimis habet exordium, quæ à cellulis anachoretarum & oratorijs Sanctorum originem duxerunt. Ceterum Vedastus, Romano collabente Imperio, Religioni Christianæ propagandæ in Leucis operam dabat, cum Rex Galliarum Clodoueus primus aduersus Germanos illo in tractu bellum gereret. A quibus parum absuit quin funderetur ac deleretur: sed precibus ac votis impetrata victoria, Regi Vedastus cathechista opportunus adfuit, cumque ad Christiana sacra amplectenda, & baptismum suscipiendum, S. Remigio Remensi Archiepiscopo collaborante anno salutis 500. pertraxit.

500.

Atre-